QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXVII. NOVEMBRIS, M. PETRO RICHER, Doctore Medico, moderatore.

831

Potéstne ex vtero matris extinctæ viuus infans suapte vi prodire in lucem?

QVANTO cordi testes præstare dicuntur, tanto ipse vterus testibus antecellit nobilitate; absque illo esset, inanis foret horum labor omnis atque opera; nimirum jaceret præclarissima vis ingenerata semini, siue anima ipsa est, siue facultas quædam animæ vicaria & administra, nisi singulari planéque admirabili vteri proprietate excitaretur; vt non abs re sapientes memoriæ prodiderint diuinum quid huic inesse parti, eámque alterius animantis loco habendam, quæ flagrans desiderio immortalitatis semen tam auidè expetit, vt ei suis penè conuulsa sedibus obuiam procedat, exceptum id gremio mollito atque subacto studiosissimè recondat, si præsertim adhuc madet menstrui sanguinis reliquiis non multò antè profusi, ex eo vim procreatricem sopitam eliciat exstimulétque ad suscipiendum opus conformationis, ac demum fœtum jam grandem natu, maturum atque adultum certet summis viribus extrudere, quæ ipsius actio partus est, expulsio fœtus numeris omnibus absoluti ex parentis & infantis pari conatu profecta.

VTERVS ita est à natura comparatus, vt non antè fœtum de sinu suo complexúque patiatur eripi quàm ille quodammodo maturuerit: toto porrò eo cursu temporis quo vis conformatrix in corpore fingendo perpoliendóque versatur, vterus colligit sese atque adducit in angustum quo fœtum quàm arctissimè contineat, tum eo consilio maximè ne pars vlla spiritus & caloris expiret, ac ne quid intro subeat quod fœtus elaborationem interpellet, ipséque interim instar boni & liberalis parentis vndique inquirit & parat fœtui necessaria vitæ subsidia, sanguinem illúmque vberrimum ex venis haustum (nam acetabulis caret in hominum genere) vitalem spiritum & calorem, vimque omnem aeris temperando caloris insiti feruori accommodatam ex arteriis quibus perfunditur quamplurimis ad eundem transmittit. Cùm primùm verò fœtus satis roboris est adeptus ad vitam suis auspiciis agendam, tum vis retentrix munus intermittit suum, adeóque natura ipsa facultati expultrici partes mandat illius abigendi excutiendique: mirum dictu! Os interius matricis occlusum hactenus & obsignatum sua sponte aperitur, & patefit, viámque munit infanti in caput prodeunti facilem & expeditam.

QVAMQVAM partus parem propè fœtus & parentis contentionem flagitat, nihilominus mater in eo negotio partes præcipuas sibi videtur vendicare: est enim partus actio facultatis expultricis vtero inditæ, quâ is conatur fœtum abigere, seséque expedire onere molestissimo, tantóque interdum impetu in hoc opus incumbit, vt simul erumpat foras, semélque incitatus in procliue labatur, nec se possit sustinere: Ecce fœtu ipso vinculis quibus constrictus tenebatur soluto, ore interno satis diducto & patente fundus vniuersus quamproximè potest ad os se contrahit, & applicat, fœtúmque ipsum exturbat. Huic etiam partes aliæ in subsidium veniunt, scilicet contracti intentique abdominis musculi vtero non mediocriter opitulantur, neruósque omnes adhibent ad fœtum strenuè excludendum, ipsa compages ossium pubis dissoluitur, coccyx ossi sacro adnexus paulisper cedit, ne quam fœtui medio in cursu moram obijciat, omnésque adeo partes corporis summo studio in id conspirant, ac pro se quæque nituntur partum promouere.

MATRE fato functa fœtus in aluo delitescens, diu superstes & incolumis esse non potest, nedum inde prorumpere longo interuallo temporis postquam illa diem suum obierit; nullus residet calor in demortuæ cadauere qui fœtus vitam sustentet; eo ipso quo mater animam efflauit momento omnis est consumptus, dissipatæ quoque & deletæ funditus copiæ omnes spirituum, quorum cùm in administratione corporis, & quibusuis functionibus obeundis vis est permagna; tum ea in partu elucet vel maximè: horum beneficio anima corporis humani gubernatrix motus quosque aggreditur etiam vehementissimos; his languescentibus si neque lotium emittere potest natura, nec reliquias alui effundere, (quod vbi ventum est ad extrema, in exitialibus morbis persæpe euenit) quid tandem extinctis futurum est?

FOETVS siue immaturus ille sit, siue maturitatem quandam suam adeptus, nunquã emergeret ex vteri latebris nisi grauis esset naturæ, ipsique vim afferret vel pondere nimio corporis, vel vitio & colluuie excrementorum quâ vndique circumfluit, vel etiam turbulentis motibus quibus assiduè jactatur: is námque spiritum de cælo ducendi cupidissimus, tum etiam pertæsus moræ diuturnæ quam in vtero traxit, quammaximè potest pugnis & calcibus discerpens atque dilacerans geminas membranas quibus est vinctus & circumseptus, matri quasdam quasi dolorum faces admouet, quò fit vt cruciatum hunc ægerrimè ferens vterus enitatur quamprimum à se hanc molestiam amouere, ipsáque expultrix lacessita eòdem conferat vires suas omnes, quæ matre defuncta, sensu omni deleto, nullis amplius doloris stimulis impelli potest ad fœtum eijciendum, neque vterus aperire sese & dilatare, collapsa euersáque illa facultate animæ quam huic muneri natura præposuit.

Non ergo potest ex vtero matris extinctæ viuus infans suapte vi prodire in lucem.

Proponebat Lutetiæ MICHAEL MARES, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXXVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Gulielmus Guerin.	*M. Nicolaus Matthieu.*	*M. Franciscus Mandat.*
M. Lancelotus de Frades.	*M. Carolus du Pré.*	*M. Claudius Lienard.*
M. Iacobus Mantel.	*M. Petrus Hommets.*	*M. Renatus Moreau, Prof. Reg.*

2/178.